

Sed hæc disputatio longior est, quàm ut hic tractari tota possit, & ex-
 tant libri eruditissime scripti multorum, qui Pici & aliorum similibus
 calumnijs respondent. Illud tantum adiiciendum esse putavi, iniquum
 est pronunciare priusquam causam cognoueris, At illi uituperant hanc
 doctrinam qui simpliciter eam ignorant. Quare eorum iudicia merito
 deridentur. Non temere dissentendum est ab eruditissimorum & pru-
 dentissimorum hominum iudicijs, qui cum harum artium uim & usum
 cognouissent, posteris eas, tanquam uitæ utiles tradendas esse putau-
 erunt. Et arrogantia est cum summa stulticia coniuncta, uenari chora-
 gium aliquod gloriæ ex insectatione artium, quæ sunt graui autoritate
 doctorum & prudentum receptæ. Sed de hac controuersia alibi di-
 sputabimus prolixius. Bene uale doctissime Schonere, & perge de
 publicis studijs bene mereri. VVittebergæ Mense Augusto,
 Anno M. D. XXXVI.

i iij

DOCV